

fuit dicere, cū mel sextarij mēsurā, oleo eiusdē mēsurā plus pendeat drachmas xcvi iuxta Fāniū, uino Lxxx. Quid uero ait de aridis? Genere & specie nō cōuenire, ideo eorū mensuras nō facile pondere deprehēdi posse. Cur ergo modiū pēdere libras uiginti sex & uncias octo scribit? quē ipse recte sentit aridorū tantū esse mēsurā? Quæ nam ista est inconstantia? Nihil aliud respōdere potest, nisi quod sextariū cōmunē siccis æque ac liquidis cōstituerit: qui uncias uiginti, si dijs placeat, pēdeat, quātumuis inter se arida differāt. Iam eius opinione intellecta, quibus ipsam probet cōsideremus. Postquā dixisset quantum quæq; mensura pendēret, quæ uerba supra retuli, subiungit. Hæc ex dispositione iam dicta mēsurarum & ex multis authoribus & maxime ex Fauino supra dicto colligi possunt. Sic ille. Nos fatemur necessario consequi ex proportione, quam mensuræ inter se habēt, ut reliquæ tantum pendeāt, quantum asserit, si sextarius uiginti uncias pendet. Quia uero in commune statuit ipsum, nullo sensu dicta declarauit. Qui uero sint isti multi authores, ex quibus hoc mēsurarum pondus colligi possit, non intelligo. Ex Fannio certe, quem Fauinum nominat & ex quo maxime posse ait, id quod uult non colligitur. Nam is asserit uini & aquæ sextarium, quod supra quoq; dixi, pendēre uncias uiginti, olei uncias decem